

Huntlaus & alii citant, v. g. Rom. 16, v. 20, *Deus conteret Satanam sub pedes vestras brevi &c.* De utraq; pugna nostrates Theologi verba Prot-Evangelii exponunt, sicut videre est apud D. Rungium p.m. in comm. super cap. 3. Gen. v. 15. Si de priori loquuntur Jesuitæ, dicimus, neminem præter Christum Diaboli caput contrivisse, qui etiam hoc respectu solus maledicto semini opponitur; *Sin de posteriori*, concedimus, Membra Ecclesiæ virtute capitis sui non solùm caput serpentis conterrere, sed etiam eadem hōc sensu semini nequam opponi. Hōc distinctionis emplastrō ritē applicatō cætera omnia argumentorum vulnera, quæ Jesuitæ integrō doctrinæ orthodoxæ capiti infligunt sanari possunt, quæ etiam uberioris deducenda iis relinquo, qui Provinciis Theologicis funguntur. Ad nostrum enim hæmisphærium illa non spectare videntur.

Quare hic vela contraho, Deoq; ter Opt. Maximo ex imis cordis penetralibus gratias ago pro divino auxilio nobis clementer præstito. Idem Benignissimis Deus convertendos ad meliorem frugem reducat, nos vero in agnita veritate usq; ad extremum vitæ halitum conservet, corroboret, confirmet Amen.

כבוד ויקר ליהוֹן :

